

AD LECTOREM.



OSCOVIAM mihi descripturo, quæ Rursiæ caput est, suamq; ditionem per Scythiam longè lateq; extendit, pernecessarium erit, cædide Lector, multas in hoc opere Septemtrionis partem attingere, quæ non solum priscis, sed etiam nostræ ætatis authoribus non satis cognitæ fuerunt: quo fiet, ut nonnunquam ab eorum scriptis dissentire cogar. Ne cui tamen uel suspecta, uel arrogans uideatur mea, in hac re sententia, equidem fateor me non semel, sed iterum, dum diu **M A X I M I L I A N I** Imperatoris, ac eius nepotis Rom. Regis Domini **F E R D I N A N D I** legationibus fungerer, Moscoviam, tamquam in re præsentis (ut dici solet) uidisse ac perlustrasse: maiorem tamen partem ex eius loci hominibus, tum peritis, tum fide dignis cognouisse: nec unius alterius uel relatu fuisse contentum, sed multorum constantibus sententijs fretum, ac etiam Slauonicæ linguæ (quæ cum Rhutenicæ & Moscoviticæ eadem est) cognitione beneficioq; adiutum, hæc non solum ut auritum, sed etiam oculatum testem, non fucato orationis genere, sed aperto & facili perscripsisse, ac posteritatis memoriæ prodidisse.

Cæterum, quemadmodum quælibet natio suum quendam pronuntiandi morem habet: ita & Rutheni facere, literasq; suas uariè connexas, coniunctas uel nobis inuisitata quadam ratione proferre solent: adeo ut, qui eorum pronuntiationem non singulari diligentia obseruauerit, is neq; sciscitari quicquam commodè, neque cognoscere certi aliquid ab illis poterit. Equidem in Rursiæ descriptione, cum Rhutenicis uocabulis in rerum, locorum, ac fluuiorum appellatione non temerè usus sim, uolui iam inde ab initio literarum quarundam connexionem ac uim paucis ostendere: qua animaduersa, Lector pleraque facilius cognoscere, & aliquando plura fortasse inquirere poterit.

Basilii, etsi Rhuteni per **V** consonantem scribant & proferant, cum tamen apud nos inoleuerit per **B** scribi, & proferri, non uidebatur mihi per **V** scribendum.

Caspirationi præposita, non per **Ci**, uel **chi**, ut pleraq; nationes solent, sed per **Khi**, Germanorum quodammodo more, est exprimenda: ut in dictione **Chiouia**, **Chan**, **Chlinouua**, **Chlopigrod**, &c.

Præposita uerò **Z** duplex, sonoriùs aliquanto proferenda: ut **Czeremisse**, **Czernigo**, **Czilma**, **Czunkas**, &c.

G Rhuteni, præter aliorum Slauorum morem, per hanc aspirationem, Bohemico propemodum more proferunt. ut cum **Iugra**, **Vuolga** scribunt: **Iuhra**, **Vuolha** pronuntiant.

I litera ut plurimum uim consonantis obtinet: ut in **Iausa**, **Iaroslavu**, **Iamma**, **Ieropolchus**, &c.

Th ferè per **ph** proferunt: ita **Theodorum** ipsi **Pheodorum**, seu **Feodorum** appellant.

V quando uim consonantis habet, eiusdem loco **Vu** litera, quam Germani per duplex **b**, sc. **w** exprimunt, posui: ut in **Vuolodimeria**, **Vuorothin**, **Vuedrasch**, **Vuiesma**, **Vuladislaus**. Eadem uerò in medio uel fine dictionis posita, uim seu sonum obtinet literæ Græcæ **phi**, quæ est nobis **ph**, ut **Ozakouu**, **Rostouu**, **Asoouu**, **Ovuka**. Diligenter igitur obseruabit Lector huius literæ uim, ne una & eadem dictione deprauatè prolata, diuersas res interrogasse, intellexisse uel uideatur.

Præterea in Rhutenorum Annalibus, origine, rebusq; gestis uertendis, non eo, quo nos, sed quo ipsi utuntur, annorum numero uili sumus: ne, dum ab ipsorum scriptis discreparemus, correctores uerius quam fidi interpretes uideremur.

MOSCOWIA REGIA
BARONIS IN HERBERTINUS
ET GUTTENHAG ANNO M D C XLIX

